

Q. K. 388, 20.

(X1883904)

II n  
2063

I. N. J.

Imperatorem Augustissimum

CAROLUM  
QVINTUM

Placidæ disquisitioni

*Sub*

PRÆSIDIO

DN. GEORGII Green/

Historiarum Profess. Publ.


*sistit,*

JOHANN HAUBOLD KIRCHBACH,

Dresd. Misn.

*Ad diem XX. Decembris, hor. matut.*

*In Audit. Majori*



WITTEBERG Æ,

Typis Johannis Haken, M.DC.LXXII.



922



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.

o  
u  
E  
i  
r  
n  
o  
i  
i  
v  
n  
c






# I. N. J.



Ulti autores admodum celeberrimi prodiere, qui vitas, resque fortiter gestas in laudem & sempiternam memoriã Excellentium Imperatorum scripserunt, neque vicquam, quod ad istorum Imperatorum Heroumque Majestatem, ac nunquam intermorituram Excellentiam extollendam, ansam præbere potuisset, intermisere. Quantum verò illi operã dedere, quo unico volumine, vel etiam pluribus, omnium Imperatorum memorabilia comprehenderent, tantum laboris adhuc subire eum existimarem, si quis in unum Opus res plusquam ineffabiles Celeberrimi Herois Caroli V., per universum terrarum orbem gestas colligere aude-  
ret. Quippe qui verè illud Lumen Mundi fuit, quod radiis suis undique exsparsis, nullum inter-

miserit locum, quem non splendore suo maxime penetrabili, nonnullis quoque terribili, illuminasset. Quare arduum sane multisque difficultatibus & laboribus obnoxium aggrederer opus, si vitam resque gestas Caroli V., cujus memoria in Sole, quod dicitur, posita, exacte, ut & dignitas requirit, jam jam proponere conarer. Cum hoc studii genus aliud plane requirat hominem. Adductus materiae dignitate, hujusque studii utilitate, constitui specimen ingenii edere, in quo brevissimis cogerem, quae acta gestaque sub ejus regimine fuerint.



*Aphor. I.*

Carolus hujus nominis inter Imperatores Germanos V, inter Hispaniae Reges Imus, Magni animi magnaeque Virtutis & prudentiae Heros, omnibus Imperatoribus Germaniae, rerum gestarum gloria ac fortuna aut par aut major fuit. Natus non modo in emolumentum Hispaniae atque R. Imperii, sed & in totius orbis commodum.

**M**agnum semper ac auspdatum omen in Carolorum nominibus Germania habuit. Nunquam hujus nominis Principi sceptrum dedit, quin aliquid, & a plerisque haud exiguum emolumentum receperit. Acquirit Germanis Augustum Imperii Romani decus Carolus, Magnus dictus; asseruit Carolus III. cognomento Crassus. De Quarto licet pronunciauerit Maximilianus I.

hus I. Imperator, vitricum ac pestem Imperii extitisse, quod in-  
 temperantibus largitionibus Imperii provincias maxime immi-  
 nuisset, de quo graviter conqveruntur *Theodorus à Niem, Cran-*  
*tzius, Aneas Sylvius & Lehmannus.* (nec præter rem, fuit enim rerum  
 suarum quam Imperii paulò studiosior :) At neglexisse penitus  
 Imperii rem, ac nihil omnino emolumenti ab eo accepisse Patri-  
 am, dicendum minime est. Vindicavit gloriam Principis adver-  
 sus nonnullos Caroli nominis obtrectatores *Conringius non u-*  
*no in loco libri, quem de finibus Imperii conscripsit.* Extant Au-  
 reæ Bullæ leges, quibus magna pars salutis Germaniæ nititur, lu-  
 culentissimum argumentum curæ, quæ Carolus Imperium com-  
 plexus est. Idem decretum condidit in Comitibus Moguntinis An-  
 no 1366. de moribus & vita Clericorum in melius mutandâ. Ipse  
 etiam admovit manum operi, cohibens Clericos à secularibus a-  
 ctibus, quibus contra honestatem & decorum sacri habitus se im-  
 miscebant; quod probat querela Pontificis Innocentii ad Caro-  
 lum, referente *Byovio. T. XIV. ad Ann. 1359. n. 2.* Tandem Maje-  
 statem Imperii ipsi cordi fuisse liquet, quod ab Innocentio VI.  
 postulavit per legatos, ut Capitula ex Clementinis Constitutioni-  
 bus *C. Romani Principes, tit. de jure jurando, & C. Pastoribus, tit. de*  
*sententiâ & re judicata,* eraderet. Quæ solertia Caroli tantò plus  
 æstimanda est, quantò majus damnum fuit, quod Imperii rebus ex  
 Clericorum insolentiâ accessit. Mittimus Carolum IV. & quæ de  
 ejus pro literarum incrementis Augusto studio dici possent. Nec  
 illis, qui vitio dant, vendidisse vectigalia ad Rhenum Electoribus.  
 Nihil Imperio sed Imperatori detraxisse respondemus. Con-  
 tendimus ad Caroli nostri gesta.

Magni nomen meruit Carolus I., & accepit post fata, quod  
 probavit *Gassendus in vita Peireskii. p. 65.* Idem sibi cognomen  
 vindicat Carolus Ultimus. Quantum enim ille laboris impendit  
 in domandâ Germaniâ, tantum hic in subigenda Americâ Afri-  
 cæque provinciis. Quantum ille auspicii literis fœneratus est, tan-  
 ta dedere hujus auspicia omnibus artibus incrementa. quare e-  
 jus memoria apud omnes Gentes nunquam virescere desinet. Ze-  
 nocarus à Schauenburg in Binkhorst &c. &c. &c. *Nam statim post*  
*natum hunc Carolum omnes artes Mechanicæ, omnia ingenia*  
qua-

Sleid.  
Comm. l. 1.  
p. 31.

quacunque in re, hominum, præstantia eximia cujusdam causa singu-  
larem omnium gratiam & amorem promerebantur. Idque in re mili-  
tari, in re navali, in Architectonica, in pictura, in Statuaria,  
in peristromatis, in textrina vario artificio, luce meridiana clarius  
apparet. Germania certe haud immeritò in eo gloriari potest,  
quod multis à seculis nullum potentio-rem habuerit Cæsarem, &  
quæ vixisse ac imperasse nullos nisi hostes Imperii poenitere possit.  
Omnes provincias, quas Burgundiæ Dux, quæ regna Hispaniæ Rex  
Ferdinandus possederat, id universum ad Carolum successione  
ac hæreditario jure pervenit. Paulus III. Pontifex Rom. Caro-  
lū nostrū cum bellum Smalcaldicū feliciter absolvisset, statuit di-  
gnum non Magni sed Maximi & Victoriosissimi cognomine, quod  
referunt supra citatus Zenocarus l. 3. de Vita Carol. V. Avila de  
bello Germ. & Hortled. præfat. T. 2. de causis belli Germanici. Ast Pon-  
tifex non victoriam ipsam pensitans, cum illo triumpho rem  
Protestantium maximè concussam ac infractam crederet,  
ex utilitate æstimabat. Veruntamen si ob unum hunc trium-  
phum mandandus Maximi titulo Carolus Pontifici, & quos citavi-  
mus, Scriptoribus visus est, nemo arbitratur Magni nomen, qui om-  
nia Herois præclara reputat, invidet. Quæ à septimo decimo  
ætatis anno peregrisset, recensuit ipse Carolus quasi ex rationario  
Imperii, cum se regnis abdicaret. Commemorat Strada lib. 1. p. 6.  
de reliquis nos deinceps.

Sublime Ingenium, ingentemque animum ostendit Symbolum  
Plus Ultra. Quod non tam cupidine quam spe usurpabat. Eo porro  
ingenio erat, ut placari precibus & ratione flecti, vi verò & armis ad id  
quod sponte nollet permoveri non posset, quod generosæ mentis cum-  
primis indicium esse solet. Jovius l. 25. Hist. Reliqua ex quibus in-  
doles cognoscitur, ex Jovio quoque notabimus. Erat in Cæsare, ait, nisi  
naturam acerbioris facti exagitates, summa æquitas, rara modestia, pa-  
tientia singularis, adeo ut in tanta fortunâ nihil repentinum & insolens  
vel judicio vel sermonibus ejus excideret. Idem lib. 27. de temperan-  
tiâ Imperatoris. Sed nec eum (quanquam ætate fortunaque floren-  
tem,) ulla unquam vel licite voluptates à perpetuis rerum maximarum  
consultationibus avocabant; Ita ut in eo simul Juventa decor eximius ad  
Martiam laudem emineret, & consilia senili maturitate, propriis non  
alienis

p. 102.

alienis cogitationibus exquisita elaborata, directaque manerent. Et  
Et talem postulabat sibi hoc seculum Principem, quo in fatis erat  
emendari sacra, qui non Papæ ac Clericorū, sed suo iudicio staret.  
Eadem de moribus Imperatoris recenset votum Moguntini, quod  
extat apud Sabin part. I. p. 126. *Quoniam & indole ad virtutem e-*  
*gregia esset, & Religionem ac Iustitiam summo studio coleret: Natura*  
*quoque à crudelitate, & ab obscenis libidinibus abhorreret, & jam speci-*  
*men dedisset industrie, fortitudinis & felicitatis suæ in occupandis Hi-*  
*spania Regnis. &c.* Dedimus nunc animi Carolini formam, corpo-  
ris quoque subicere possemus habitum, sed quia nos brevitati stu-  
demus. vid. Jovius l. 27. p. 127. & Zenoëarus sæpe laudatus.

### *Aphor. II.*

Carolus maternum genus ex vetustâ Go-  
thorum in Hispaniâ propagine ducebat. Pater-  
num ex Habsburgicâ tot Imperatorum Imagini-  
bus illustratâ Gente. Inter Germanos igitur  
putandus est, qui Patrem, Avum Majoresq; ex  
Germanis habuit.

Carolus an Germanis esset accensendus agitabatur in Comitibus  
Electoralibus. Movebat litem Trevirensis, Francisco I. totus  
addictus, & cum alia non inveniret, hoc interponebat, quò Ca-  
rolum à dignitate Imperatoria excluderet. Probè enim noverat  
ex veteri sancito, cujus meminit Dithmarus, & ex immutato Im-  
perii more, Imperatorem ex solis Germanis esse legendum, & cum  
hoc impedimentum Francisco I. Gallia Regi opponeretur, idem  
in Carolum retorquere voluit. Hinc nata occasio Scriptoribus  
quærendi: Num Carolus verè Germanus dicendus sit? Inter re-  
centiores qui explicavit, est *Auctor Comitologie Ratisbonensis p. 7.*  
qui omnia compliavit argumenta, quò adstrueret thesin. Frustra  
autem urget, vivo Avo esse natum; & præter necessitatem provo-  
cat ad locum nativitatis. Ferdinandus frater in Hispania editus,  
nihilominus pro Germano habitus est. Et si quis Patre defun-  
cto f.

Et si superstitie exeat in Mundum, modo ex Germanis ciere Patrem  
possit, Germanus utroque casu erit. Laudat Margaretham & E-  
phoros ex Germania, parum ad rem. Formantur quidem ab edu-  
catoribus mores, & Germani forsitan Germanis similes fingunt: po-  
tuit & hoc laudi ac commendationi Carolo cedere: at legibus Im-  
perii non satisfacit, quæ origine & sanguine Germanum & quid-  
domicilium in Germaniam habeat flagitant. Dicimus Carolum Germa-  
num, & nitimur Procerum Imperii testimonio. Imprimis Mo-  
guntini, qui putabat, Carolum Archiducem Austriae omnibus Ger-  
maniae Principibus anteferendum esse. In orat. pro Carolo sic lo-  
quitur. *Origine ejus est verè Germanica: Nec dici potest, nos transferre  
Imperium ad exteros, titulo tenus Principem habere Germanicum. Possi-  
det enim in Germania ditiones plurimas, qui parent nostro Imperio, &c.*  
Et porro eodem loco citato ait. *Cum igitur & origine verè sit Germa-  
nus, & tempora flagitent potentem Imperatorem: censeo Carolum Austri-  
acum evehendum esse ad Imperii fastigium, quod ipsum tamen non face-  
rem, nisi indoles ejus nobis nota & probata esset.* Deinde & Electoris  
Saxoniae Friderici testimonium constat apud citatum Authorem.  
Ubi tertio loco verba fecit Saxoniae Dux, & Gallum lege excludi, Ca-  
rolum v. Germanum esse Principem, inque Germania domicilium  
habere, demonstravit, opus esse Reipublicae aliquo praepotente Principe di-  
cebat, sed qui cum Carolo sit conferendus neminem se talem nos-  
se; placere ergo sibi ut is renunciatur Caesar. Ab his omni-  
bus reliqui Proceres Imperii non dissentiebant praeter Trevi-  
rensem, qui malebat, Francisco Galliae Regi hanc dignitatem de-  
ferri, cum verò videret se reliquorum Procerum suffragiis s. vo-  
tis superatum, Germaniae fatum, inquit, & jam independentem a-  
gnosco mutationem: sed tamen quia vobis ita visum est, à vestro  
judicio voluntatem meam non removebo. Sufficere nobis pos-  
sent haec suffragia, nisi operæ pretium foret, verbis Sleidani osten-  
dere originem Paternam. Ab initio deducit progeniem, hac po-  
sita serie. Galliae Rex Carolus V, cognomine Prudens, fratri suo natu  
minimo Philippo, Burgundiae Principatum ad se delatum dedit. Hic  
Philippus uxorem postea duxit Ludovici Flandriae Comitis filiam unicam  
Margaritham, ex qua filium procreavit Joannem: Huic natus est Phi-  
lippus, fuit hic Caroli Pater, Bellatoris, qui casus ad Nancejum, filiam  
reliquis

Sleid.  
Comm. p.  
29.



reliquit amplissimarum regionum heredem, Mariam: ea demum  
nupsit Friderici III. Caesaris ex Gente Habsburgica filio, Maximi-  
liano, & Philippum edidit, qui alias Austriacus dicitur. Is in Matrimo-  
nium duxit Joannam, Ferdinandi Regis Hispaniae filiam, ex qua su-  
scepit Carolum & Ferdinandum, gravida Joanna Flandriam petiit &  
Gandavi Carolum peperit anno salutis 1500. die 24. Februar. Ex quo  
patet, Carolum licet non Matre, Patre tamen Germanum fuisse.  
Tot igitur depositionibus testium omni exceptione majorum, tot  
attestatis Principum, tot testimoniis Germanorum ac Hispano-  
rum, de Germania, Caroli Austriaci patria, quin & ipsius Con-  
fessionem, quis non plenissimam attribuet fidem? Ut hinc sinistre  
Septemvir Trevericus disseruisse videatur; *subtili tantummodo in-  
terpretatione Carolum pro Germano haberi.*

Discuss.  
Voti se-  
ptemv. p.  
224. Carp.  
70<sup>m</sup>

### Aphor. III.

Magnum Caroli Ingenium, maturo admo-  
dum tempore, rebus magnis & negotiis publicis  
applicatum fuit ab Ephoris.

*Magnis ingeniis, ni maturè diligens cultura adhibeatur, idem e-  
venit, quod agris neglectis; quo sunt fecundiores naturâ, eò amplius sen-  
tibus & noxiis herbis vastantur* inquit Mariana. l. r. de Regn. & Reg.  
Instit. præf. Adhibiti ergo sunt varii qui moderarentur primam  
ætatem, & Juventæ annos, inter quos & Fridericus Palatinus fu-  
it. Educatus est Mechliniæ ap. Margarethâ amitam, avi præsertim  
Maximiliani curâ, quum ante obiisset Pater Philippus, quam se-  
ptimum annû ætatis absolvisset. Literis imbui eum jussit Avus, sub  
magisterio Hadriani Florentini Theologi, & postea Pontificis, i-  
ta tamen, ut armorum & corporis exercitationibus tempora di-  
stingveret. Henricus Nassoviæ Comes ad operam cognoscendi  
Majorum res gestas postea incitavit, quo animus ad similia accen-  
deretur. Deniq; firmatâ paulum ætate, Caprarius qui ex con-  
sensu Civitatum Flandriæ moderator s. Ephorus Carolo præposi-  
tus erat, licet annum ætatis decimum quintum nondum attigis-

B

set,

set, negotiis publicis Imperii assuevit animum, ut ex quibuscun-  
que provinciis adferrentur literæ, vel nocte intempesta, omnes  
ipsi redderentur, ex quibus perlectis, ad Consilium, ubi omnia  
coram constituebantur, ipse referret. Liceat hic referre quod  
narratur de Genlio Regis Galliarum Legato, qui cum apud Caprarium  
cænaret, in eumque sermonem veniret, ut mirari se diceret, quod  
Adolescentis Principis ingenio tantum laboris, quo eum facile po-  
terat levare, imponeret. Tum Caprarius, *Mi Genli*, inquit,  
*Video me illi Curatorem datum, hunc volo post mortem meam sui Juris*  
*esse.* Adeo decet Principem à puero assuescere animum ac indura-  
re publicis Imperii negotiis, *Mart. Bellaji Comm. lib. 1.*

#### Aphor. IV.

Carolus egregiis auspiciis paternas Provin-  
cias occupavit, atque in ipso Regni Hispanici ty-  
rocinio ita se dedit, ut ex initiis quilibet magnos  
rerum successus colligeret.

*Mettera-*  
*us l. 1. p.*  
*21.*

Licet teneris adhuc annis Patre privatus fuerit Carolus, nihil o-  
minus fortuna favore suo hanc cladem restauravit, ut quilibet de ipso  
singulare & præclarum aliquid opinaretur. Varia quidem omina  
spem de Carolo optimam excitaverant, inter quæ dona in baptis-  
mo infanti oblata. Carolus à Croja argenteam galeam aureo Phœ-  
nice ornata dederat; Bergensis Dynasta aureum enses; Marga-  
retha Britannica poculum grande aureum plenum pretiosarum  
gemmarum, Margaretha Austriaca Pateram auream margaritis  
& unionibus refertam; Gandavenses Navem argenteam; Archi-  
mandritæ veteris novique Testamenti codicem, hac cum Inscri-  
ptione *SCRUTAMINI SCRIPTURAS.* Cuncta hæc non sine o-  
mine donata esse, legenti rerum à Carolo gestarum monumenta  
facile videbitur. Optimum verò ac certissimum omen ex tyro-  
cinio Imperii sumitur. Sic enim Elector Moguntinus apud Sabi-  
num: Tyrocinio Regni Hispanici magnos motus compescuit. &  
exin

exinde feliciâ auguratur Germaniæ. Anno decimo quinto æta-  
tis suæ Dux Brabantia, & Dominus reliquarum Belgii provincia-  
rum constitutus est, Anno C. 1518. iter fecit in Hispaniam, ut re-  
gna, quæ jure hæreditario ad ipsum translata fuerant, occuparet. Tū  
cura prima fuit matrimonio firmare Imperium. Sororem Eleo-  
noram collocavit Emanueli Portugallia Regi, *de quibus nuptiis*  
*consulatur Petrus Leodius.* aliam sororum desponsavit Friderico  
Electori Saxonie. Tertia Christierno Daniæ Regi jam nupta e-  
rat. Ipse verò adjecit animum amoribus Renatæ, Ludovici R. G. fi-  
liæ, quò illis nuptiis pacem cum Gallo stabiliret, aliaque impe-  
dimenta consiliorum ac gerendarum rerum excluderet. Vid. *Thu-*  
*anus lib. 1. Hist. Aug. & Chytræus. lib. 7. Chron. Sax.* hoc initio Im-  
perii in Hispaniam veniens, & motus nonnullos composuit,  
& America partem, frænata militum Hispanicorum libidine ac  
crudelitate, in provincia formam redegit, Barbarisq; Episcopos  
præfecit, Didaci Columbi ministerio, quod *Chytræ l. cit. de prædi-*  
*cat.*

#### *Apor. V.*

Carolus non sine æmulo, eodem ferè æ-  
tatis spatio, quo Alexander Magnus ad Impe-  
rium evectus est, & quidem maximo Electorum  
consensu. Soli Trevirensi ex studio rerum Galli-  
carum controversiam movere placuit.

Non idem spectatorum in Candidatos animus erat, non eadem  
spei Procorum fundamenta, quæ *Gvicciardinus l. 13. Hist.* exponit.  
Duo deposcebant augustam Purpuram: Carolus Austriacus &  
Franciscus Gallia Rex: erantq; ante electionem qui pro utroq;  
operâ suâ interponerent contra alterū. Gallo favere videbatur Pō-  
tifex. Sed videbatur, voto enim animi neutri horum destinaverat.  
Tertium maluisset minorē animo, minorem viribus, quos animi  
Pontificii recessus ingenue aperuit *Gvicciardinus*, haud ignarus, in-  
ter arcana dominatūs Papalis pertinere, navare operam ne po-  
tens

tens Germaniæ Imperator detur, qui Italiæ Provincias repetat, & Papæ fastum reprimat. Helvetii, Germaniæ communis Patriæ amore ducti, Carolo cupiebant Imperium, atq; hortabantur Papam, ut nemini qui Germanici sermonis non esset, faveret. Sic Guicciardinus, add. Sabini histor. Elect. Carol. At Pontificis in Carolum animus ex legatione quam ad Electores Vesaliæ congregatos miserat, satis cognoscitur. Erant hæc præcipua legationis capita I. Ut de optimo Principe Germaniæ prospicerent. II. Ne Regem Neapolitanum ullo modo eligerent, ut inhabilem. (Is vero erat Carolus noster, quæ eo ex pacto inhabilem iudicat, quo Regibus Neapolitanis Imperium Germanicum attingere non licet. Cuius pacti originem vid, in dissertat. 4. Joh. Strauch. de Illustr. controvers. circa Elect. Carol. V.) III. Ut responsum clarum clare, expresse & individualiter detur &c. Generosa verò mente respondebant Electores: Se Vesaliam non eligendi, sed motus reprimendi causa convenisse, accedentes verò ad electionis negotium lecturos dignissimum. Cætera mirari Principes Pontificis institutum, quod leges Electoribus ac modum ponere audeat, in auditum ævo suo: sperare nihilominus, Pontificem futuram illam Romani Regis electionem æqui boniq; consulturum. Itaq; renunciavit huic suo postulato deinceps Papa. vid. Goldasti Politica Part. 1. Caroli partes tenebant Status & Electores ferè omnes, non rationem habentes juventutis, quoniam nihilominus ejus ætas satis idonea & matura rebus gerendis esset. Anno ætatis XIX. l. vigesimo labente creatus est Imperator, unde & Moguntinus in renunciatione novi Imperatoris coram Nobilibus ac universâ multitudine edixit: *Quod Caroli jam pene sit quæ fuit Alexandri M. capessentis Imperium ætas, in qua vires corporis propemodum maturuerunt, & ingenii vigor, industria, sagacitas, & mores se proferunt, ut judicari qualis sit natura possit, apud Goldast. in Polit. Imp. p. 134.* Quæ de Alexandri ætate disseruit Moguntinus eò spectant, quod Alexander vigesimo anno ætatis patrium regnum adeptus est, & Imperator exercitus audiit, teste Ariano lib. 1. de expedit. Alexand. M. At auspiciam captasse Elector videtur, quando Carolum paribus annis cum Alexandro Imperium occupasse commemorat. Imperii decus tulit præcipue Moguntini Saxonisq; suffragiis. Et quidè Fridericus Saxo cum Treviri & Bran.

Carpz. discurs. p. 242.

& Brandenburgici votis ad Imperium posceretur, recusavit honorem, Carolum sibi præferens. Magna certe modestia, quæ imperium recusavit, quod alii vel malis artibus quærent. Maximus in Principe provinciarum suarum & subditorum amor fecit, ut non reciperet quod oneri esse poterat subditis. Comparanda cum hac modestiâ Friderici Inclyti Herois & Lutherani nominis vindicis, Johannis Georgii I. f. m. pietas. Offeriebantur huic à Bohemis tumultuantibus Regni Bohemici sceptra Anno 1619. Ipse v. magno animo repudiabat, tam fide & pietate, quæ Ferdinando II tenebatur, quam amore subditorum adductus, ne malum provinciis suis accerferet. Subit nunc etiam animum recordatio Ottonis M., Ducis quondam Saxonix, Fridericum ac Johannem Georgium I. longinqua licet cognatione attingentis. Nam & hic post fata Ludovici, Arnulphi filii, cum hæres nullus Ludovico suppeteret, à Francorum & Saxonum populo omnibusq; Germanorum Proceribus Augustus salutatus, deprecatus non tantum est augustum honorem, sed etiam ut Conradus Franconix Dux eligeretur, auctor fuit.

*Aphor. VI.*

Electio Caroli sine vitio fuit, nulla turpi ambitione, nullis largitionibus acquisita, neq; aliis subsidiis quam virtutis, & eminentis ingenii ac moderatæ mentis famâ ad hoc culmen adscendit.

Cum jam Carolus esset eligendus, spes de ejus ingenio erat optima, & potentia ejus pollicebatur tam Germaniæ, quam universæ rei Christianæ prælidium. Gallorum nonnulli traducebant electionem Caroli, quod vitio creatus esset Imperator, & vel turpi ambitu, vel cambiis extorsisset vota. *vid. Tbuam. libr. 1. Histor.* Hæc ex historia paucis sunt refellenda. Primùm quidem inter Franciscum Galliæ Regem & Carolū convenisse, memorat *Gvicciardinus lib. 13.* *Ut uterq; honestâ ratione se tanta dignitatis splendore*

ornare niteretur. Non secus atq; bini Jævenes unius puellæ forma capti, amoribus officiis & opera certant. Mox tamen majori animi contentione urgebant negotium, & Gallum obtulisse pecuniam vel pecuniæ spẽ, non dissimulat Gvicciardinus, acceptasse v. Electores, tutò non ausus est asserere. De Carolo vero nostro talia prædicat Scriptor ingenuus. *Exercitus Hispaniæ Regis, qui ad exercitum pecunia conscribendum, quam ad eandem Septem viris largiendam promptior fuit, jussu collectus, Francofurto, quasi eos, qui Septem-viris vim afferre vellent prohibitorius esset, appropinquans &c.* Duxit hunc in Germaniam exercitum, non ut vim Electoribus faceret, sed quoniam Gallus pecunias colligebat, (sunt verba citati Gvicciard.) *Ut se se iis, qui quo minus ipse eligeretur prohibere vellent, armis opponeret, colligebat, adduxit militem, cujus fiducia muniti Electores, liberius animi sensa expedirent.* Non hætenus turpiter sededit Carolus. Quod Electores spectat, Saxonem gratis dixisse ex Sleidano constat. *vid. Sleidanus lib. 1. p. 29.* Neq; de reliquis Electoribus aliter existimare jubet jus jurandum, quo initura suffragia se se obstrinxerant. Fruebatur quidem meritis & cõmendationibus Avi Maximiliani Carolo; maximè tamen virtute suâ & indolis laude enitebatur. Et tanta in Maximiliano gravitas erat, tantus amor patriæ & communis salutis, ut nisi probasset ingenium nepotis, & judicasset profuturam orbi terrarum electionem ipsius, non commendaturus fuisset Electoribus. Reliqua quæ huc pertinent partim electionis, partim Coronationis solemnities, *vid. apud Sleidanum, & inter Goldasti Politica.* Id verò prætermittendum non videtur, ejus Capitulationis formæ initia, quæ hodie potestas Imperatoria circumscribitur, ab hoc tempore esse ducenda.

#### *Apor. IIIV.*

Adeptus Imperium, contra Pontificem vindicabat Imperii Majestatem, Judicia de rebus Ger-

Germaniæ, nec non rerum sacrarum curam,  
& religionis arbitrium sibi & Ordinibus solis  
asserens.

Ex exemplis colligitur institutum. Exemplum hujus rei sup-  
peditat clarissimum proscriptio Episcopi Hildesienfis, homi-  
nis maxime inquieti. Huic bellum cum Episcopo Mindensi ac  
Ducibus Brunsvicensibus fuerat, causam & historiam belli com-  
memorat Chytræus lib. 8. Carolus cum Statibus Imperii in comitiis  
Wormatiensibus statuerat sententiam hujus litis; Sed cum ea sta-  
re nollet Episcopus, proscriptus postea est à Carolo, quod indigne  
quidem tulit Pontifex R. Paulus. III, at propterea non est mutata  
sententia. *vid. Chytræus l. 15. p. 429.* Si porro quæ in negotio re-  
formationis, ab Hermanno Coloniensi Episcopo tentata egit Cz-  
sar, perpendamus, luce clarius apparebit, majestatem Imperii  
plus apud Cæsarem valuisse quam Pontificis auctoritatem. Cum  
enim hic Archiepiscopus emendationem vel magis reformationem  
in Ecclesiis suarum ditionum instituere vellet, convocatis ad hoc  
in Consilium Episcopis Leodini, Trajectensi, Monasteriensi, li-  
ber quidam Decretorum de ceremoniis & doctrina, per Joannem  
Gropperum Juris Pontificii Professore editus est, in quo pleraque  
omnia dogmata Pontificia novis interpretationibus, & veluti co-  
loribus vestita erant. Cum verò reformationis scriptum neque  
Archiepiscopi neque Johannis Gropperi animo sufficiens videre-  
tur, Archiepiscopus anno 1543. convocatis Clero, Nobilibus  
& præcipuarum Civitatum provincie suæ Legatis, aliam instituit  
reformationis formulam, quam plerisque licet approbantibus, Ecclesia-  
sticorum major pars repudiavit. Postquam verò Clerus Archiepi-  
scopum rogasset, ut ab instituto desisteret, & vel concilii gene-  
ralis vel Ordinum Imperii in Conventu decretum expectaret, nec  
horum ille precibus quicquam concederet, anno 1544. ad Pontifi-  
cem maximum atque Cæsarem summum Ecclesie advocatum &  
protectorem (ut ipsum appellat Petrus Svaavis in hist. Concil. Trid. p. 108.)  
provocarunt, ut hac ratione conatus Archiepiscopi retardarent.  
Quapropter Cæsar Clerum tam instanter implorantem in patroci-  
nium

*Sleid. p.  
355.*

*Hist. Conc.  
Trid. p.  
Svaavis p.  
108.*

Sleid. p.  
525. p. 543.

ſ Chytraeus  
lib. 16.  
Chron.

rium suū recipit, & proscriptionis p̄na denunciata, mandat, ne quis omnium illos vel in religione sua vel in possessione bonorum & vectigalibus & jure impediatur. at Hermannū Archiepiscopum ad se Wormatiam citat, ut spatio XXX. dierū ad se veniat, aut procuratorem mittat & accusationibus respondeat. Hujus rei fama cum pererebuisset, rumor Tridentum perlatus Archiepiscopis otio abundantibus, legatisq; Pontificis multi sermonis materiam supeditavit. Existimabant enim minime hoc Majestati Cæsareæ convenire, ut in causa fidei & reformationis judicis partes sibi sumeret, hanc enim actionem scandali & offensionis plenam fore. Pontifex ipse hac Cæsaris actione maximè consternatus dubius erat, an injuriam hanc cum Cæsare exostulare, an verò demus sare præstet. Exostulationem facere, quæ caritura esset effectu, nō modò vanū judicabat, sed impotentia quovq; atq; imbecillitatis significationē. Quo verò rem tantā non reticeret, suamq; majestatem ostenderet, eundē Archiepiscopū Coloniensem, quovq; Romā citavit. Hic verò cum lite adhuc pendente pergeret, neq; Concilii decretum exspectaret, neq; novos ministros Ecclesiæ removeret quod ipsi cum primis volebant, urgente Cæsare ab Episcopatu decesit. Quo exemplo Cæsar Gloriosissimus satis demonstravit, auctoritatem Pontificis in ordinandis rebus Ecclesiasticis Germaniæ exiguam aut nullam esse; sibi vero tanquam Ecclesiæ DEI summo Advocato & Protectori, potestatem statuendi circa sacra convenire. Pariter & curam atq; arbitrium Conciliorum Imperatorii juris esse, persuasum habuisse Cæsarem, ex iis quæ inter Cæsarem & Pontificem, nec non Cæsarem & Status hoc nomine acta sunt, posset demonstrari, si pagellarum angusta spatia caperent. Dicendum paucis de indignatione Pontificis, quam concepit cum Carolus in Germaniā librum, quem INTERIM appellabat, conscribi atq; excudi jussisset, ut ea moderatione pax Germaniæ retineretur. Meminit succensionis Pontificiæ Onuphrius in vita Pauli III. *Quæ res in Pontificis animū altius ascendit, ut jam apertas cum Cæsare similtates conciperet, quum aliena curantem, & quæ Pontificii muneris essent, molestia sibi solum exhibenda causa, contra quam sentiret occupantem, graviter scripta episto-*



*Epistola accusaret.* Conquestus de eo Clemens VII. quoque est in epistola quam ad Carolum dedit, quod Pontificium nomen non iusto loco haberet, & contemneret sanctam suam auctoritatem. Multa quidem iniqua in Carolum, & præter verum scripta continet, quibus ipse respondit Imperator; pauca quæ magni Cæsaris animum probant, laudabimus. *Mittimus innumerabilia alia, in quibus nulla unquam habita est ratio honoris nec Voluntatis nostræ.* Item. *Et quæ Tibi benigne & large pollicebamur, ea Tu tanquam Tibi debita & obligata flagitares; in quo verò perspicuum indicium consistit, nos abs Te illudi & pro nihilo haberi.* vid. hæc & alia part. 22. Polit. Goldasti. p. 988. seq. Audiamus etiam Granvellanum, in Orat. ad Landgravium apud Sleid. p. 576. Inquit. *Si quis omnium est, qui religionem amet, is profecto Cæsar est, quiq; in gratiam Pontificis ne tantillum quidem ab æquitate deflectit. Dum Spirense quoq; decretum magna cum alterius partis, nec sine Pontificis etiam offensione servavit.* Placet subjungere Landgravii responsum: Pergratum esse reponit, Cæsarem minime à Pontifice pendere velle. *Et utinam Carolus ipsum ad officium adducat.* Sleid. p. 576. Sed nullus dubitet, quin ad officium ipsum adduxerit, quando Anno 1527. exercitus Imperatoris Duce Borbonio Romam expugnavit, atq; Papam in arcem Hadriani quasi in custodiam dedit. Cæsar quidem ea sibi imputari noluit, & cum accepisset, prætulit quandam tristitiam, imò ad ejus nuncium illicò publicam lætitiã ob natum Philippum filium edicto vetuit. At quo animo fuerit Cæsar, colligitur inde maxime, quod in Ducem & Legatos militum non animadvertit, & menses omnino septem in custodia attineri Pontificem passus est. Nimirum ea fieri voluit, ut fastus Papalis aut frangeretur a. saltem incideretur. Sunt inter Pontificios, quibus vilum est, Carolum propterea deposuisse sceptrum, ut justâ contritione expiaret ea, quæ hætenus commemoravimus; præsertim quod in religionis causam injecisset manum. *Vid. Strad. lib. 1. de Bello Belgico ad Ann. 1558.* Sed cum sine teste dicat Strada, & ex conjecturis non nullorum commemoret, vix fidem adhibendam esse censemus. Sint verò certa, largiemur, ad conscientie errores ergo illos morsus atq; dolores referimus.

Demonstrant quidẽ hætenus adducta satis studiũ Caroli, quo Imperii Imperatoruq; jura cõtra Põtifices vindicavit. Addimus nũc ex

C

formu-

Formula Juramenti Carolini (Protectionis quod nominari solet) quod ex more Pontifici præstitit. Meminit Jovius lib. 27 *Juravit Cesar verbis rite conceptis, sed ita tamen, ut se de jure suo nihil remissurum restaretur.* Et verò non privati tantum commodi causa, (ne Placentiæ & Parmæ ditionibus cessisse videretur) adjecisse limitationem, sed ut imperio sua servaretur auctoritas ostendunt, quæ sequuntur verba. Videlicet expressam addidit restrictionem, quæ alias perpetuo subintelligitur. Juramentum enim quod antiquo quodam ritu Imperatores Pontifici præstant, non obligat contra leges Civiles Imperii, neque in detrimentum Imperii vergere potest.

*Aphor. VIII.*

Provincias, tam subdolis Pontificum artibus, quam vi fictisq; donationibus Imperio creptas, Carolus repetiit, atq; Imperio restituere curæ habuit.

Quot quantisque Provinciis imminutum est Imperium Romano Germanicum! Nonnullas Pontifex possidet, cui cum liberalitas Imperatorum fructum indulgisset, dominium invadere religio nulla fuit. Alias tenet Gallus haut justo nomine. Nonnullæ libertatem, vel pretio emptam, vel annorum justo numero adeptam, vel desertæ, proprio Marte quæsitam jactitant. Vindicavit calamo Imperii jura Conringius scripto quod de finibus Imperii edidit, Idem negotium & alii sibi datum putarant. Ast ferro repetere satius erat, cum ferrea sint tempora, ubi non rationes sed arma jura ponunt. Deliberatum igitur non semel in Imperii Comitibus de eo, quomodo quibusve mediis restituerentur ablata. Jam sub Maximiliano, Caroli nostri Avo in Consilium hoc negotium vocatum est. Idem Carolus noster in primis Comitibus Anno 1521. Wormatiæ habitis, Purpuratis Statibus proposuit. vid. R. A. ad Ann. 1521. S. und als wir in unser &c. Postea aggressus est rem Imperator, & quæ ad Arelatense, vel Burgundicum regnum pertinebant olim, repetiit, siquidem Delphinatum asseruit Imperii esse terram. *Teste Gbissetio in vindiciis Hisp.*

P. 123.

Adjun-

Adjungimus testimonium *Mart. Bellaji* commemorantis, Carolum Franciscum I. captivo, ea conditione liberationem e captivitate spondisse, si Delphinatum & Provinciam Borbonio sine clientela traderet, atque Ducatum Burgundiae redderet. *vid. lib. 3. Comment. p. 82.* Et paulo post narrat idem Auctor, hisce conditionibus dimissum esse Franciscum: Ducatum Burgundiae traderet Caesari, & Flandriae ac Artesiae clientelare Imperium remitteret. Est v. quod in primo citati Autoris loco moneamus, fidem vix mereri quod asserit, voluisse Carolum ut Borbonius summo Imperio, & ex nullius clientela Provincias acciperet. Siquidem Imperio detrahere animo habuisse, quod alibi Imperii esse factus erat, haud ex vero videtur. Ad Provinciae ditiones etiam pertinet Arausionensis Principatus, quem Nassovii Principes ex adoptione Philiberti Chaloniensis anno 1530. facta, nunc possident. Haec Imperii feudum aliquando fuit, & vindicasse Imperii Jus Carolum non sine fundamento, colligit Conringius de finibus c. 25. Porro Belgii Provincias novo vinculo obstrinxit Imperio, quod liquet ex decreto Augustano Caroli de anno 1548. cujus n. XV. singularum Provinciarum nomina exprimit.

Quantus Carolus noster Majestatis Imperii per Italiam vindex fuerit, non una monumenta loquuntur. Cum de Parmae ac Placentiae jure cum Pontifice disceptaret *Non posse se sine invidia rerum Imperii alienatarum Pontifici consentire*, respondit. Legantur quae *Thuanus in fine lib. 4. Hist. A. narravit.* Super sedemus iis, quae de Imperii auctoritate, in aliis Provinciis Italiae, per Carolum asserta commemorari possent, quia apud *Conring.* ex rerum monumentis fideliter collecta prostant. c. 23. *de finibus.* Utinam Pontifici Rom. cum captivum tenuit, ejusque fastui severiores leges poluisset, ac jura, quae olim in electione Pontificia Imperatoribus competebant, restaurasset.

De Prussia interponere forsitan quis posset, tempore Caroli V. anno XXV. amisit provinciam, nec vindicatam a Carolo, & derelictam ab Imperio non potuisse non Poloniae re Regibus submittere, quo praetextu *Thuanus l. 1. H. A.* ab Imperio secessum excusat. Verum vero Caesari non posse impunitari jacturam hanc, status illorum temporum, & acta publica indicant abunde. Detinebatur bellis Italicis tum Caesar, tuenda erat Italia,

talia, defendenda à Francisci I. Regis Galliae armis, quem eodem anno captivum habuit, quo defecit Prussia. & magis intererat Imperii, servari Italiã, quã Prusiam. Neq; Germania fessa civilibus discordiis exhausta; partim bellis potuit valida subsidia submittere, cum ipsius vires vix suæ disdomi rebus sufficerent. Quæ v. pacis media adhiberi possent, ea non neglexit Cæsar. Impetravit Alberto inducias anno 1521. Imminente induciarum termino, misit Legatum, qui reliqua componeret, Polonis non comparentibus: Postea in publicis Comitibus detestatus est pacta Alberti cum Polonis, irrita esse iussit, proscripsit Albertum, & Wolfgangum Waltheri successorem, traditis Magistratus Borussiae insignibus, Magistrum ordinis solenni ritu inauguravit, & licet pro Alberto deprecarentur Regis Poloniae Legati, rata tamen mansit sententia. Alia quæ ad hanc historiam pertinebunt, accipiet lector à *Cbytrao lib. 11. 13.* Sleidano & acta ipsa lege apud Priusium T. 2. rerum Polonicarum.

### *Aphor. IX.*

Curam præterea intendit, ut tutam foris, tranquillam domi Rempublicam servaret. Propterea tam multa comitia, conciliaque instituit, in quibus tot Leges saluberrimæ conditæ, quæ rem Germanorum non tantum erigerent, sed adhuc magis fundarent. Proinde Judicium Camerae Imperial. quod præcipuum pacis publicæ fulcimentum, summa autoritate stabilivit. Ne quoque à Turcarum, vel aliorum hostium armis quid detrimenti caperet Imperium, prudentissimis consiliis præcavere voluit, & violatoribus tranquillitatis publicæ supplicia decrevit.

Caro-

Carolus V., prima sui imperii Comitia Wormatiæ habuit, anno 1521. in iisque multa sancivit, quæ per recessus tum temporis editos patent. Primo enim tractavit de Regimento regni, quomodo haberi deberet si lites orirentur, quisq; alias Controversias, in provinciis hinc & inde ortas, componere deberet. Proinde constituit XXII. personas, tanquam Judices, uti extat in recessu Imperii Wormacensi §. Und Anfänglich so haben Wir mit zeitigen Rath und Willen &c. seqq. quod sancitum tantum usque ad reditum suum ex Hispania durare debuit. Uti habet §. Und soll obgemelt unser gesetz Regiment in unsern abwesen &c.

Deinde exempliavit quoque in his Comitibus Ordinationem Cameralem. Testatur recessus Römischer Käys. Maj. geordneten Kammergericht §. Und die weil obberührte zu Worms auffgerichtete Ordnungen des Käyserl. Kammergerichts &c. & §. seqq. In tertio recessu edidit explicationem pacis profanæ, in qua constitutionem ejus pacis, Wormatiæ antehac editam & promulgatam extendit, corripuit. uti habet. Römischer Käyserl. Maj. Landfried. §. Wir Carol der V. &c. Entbieten allen und jeglichen unsern und des Heil. Reichs Churfürsten Fürsten &c. Denique quarto etiam exhibuit varias Constitutiones de Regimento Regni, ut habet R. K. M. Abschied §. Und haben sich unser Freund/Neven &c. Die Churfürsten nachfolgender Ordnung an unsern Regiment zu sitzen vereinigt. Eodem recessu constituit etiam Ordinationem Criminalem. §. Und noch bisher grosse Unordnungen in den freyen Stühlen &c. It. quomodo haberi debeat cum successione Nepotum. §. Nachdem auch in gemeinen Rechten versehen. & seqq. In hoc recessu singulare edictum quoque promulgavit Imperat., de non nullis casibus in materia successionis ab Intestato, idque duabus legibus comprehendit. (1. *Nepotes ex filio filiave premortua, locum patris vel matris adsumunt.* Avo cum liberis ipsius in stirpem succedunt. (2. *Filii fratrum utrinque conjunctorum, cum patris suis in stirpes non in capita succedunt.* uti apparet. Aus dem Edict vonden Regiment zu Nürnberg. Von Succession der Brüder/und Schwester Kinder. §. Demnach Ordnen und setzen Wir daß Brüder und Schwester Kinder &c. Porro in Recessu Anno 1522. quasi renovationem & ulteriorem explicationem Pacis profanæ, quæ

tuor membris contentam edidit. In primo agit de Ordinatione  
 Capitanei circularis, §. Und in dem allen befunden/das solch &c. ne-  
 que ad §. Ob auch unser Regiment &c. In altero constituit modum  
 persequendi violatores pacis publicæ. §. Und so jemand den andern  
 selbst. &c. Tertio proponit modum Executionis contra Bannitos. §.  
 Wo aber zu frischer That/in der Nach Eyl. Flucht &c. Denique con-  
 glomerantur varix Constitutiones ad conservationem pacis profa-  
 næ spectantes, de quibus §. §. sequentes. Porro recessum Imperii an-  
 no 1524. Norinbergæ edidit, ubi primum agit de sustentatione Ca-  
 meræ Imperii. §. Und erstlich nach dem uns aus vielen beweglichen  
 Ursachen. &c. Deinde Regimento Regni, & certa constitutione  
 ordinis in successione. §. Und damit das Regiment statthch und abh-  
 sehlich. Tum & de querelis Statuum ob immodicam Collectarum  
 impositionem. §. Item wiewohl auff nechst gehaltenen Reichstag zu  
 Nürnberg. &c. De re monetaria corrigenda. §. Dergleichen hat der  
 Münz halber dieser Zeit &c. De Monopoliis non ferendis §. Item  
 dieweil durch unsere instruction neben andern der Monopoliis. &c.  
 De auxilio Turcico. §. Dieweil auch solche Hülffe der zweyer Vier-  
 theil. &c. Prodiit adhuc alius recessus Imperii Spiræ anno 1526. ubi  
 actum fuit de Concilio in Germania habendo, & de seditione ru-  
 sticorum compescenda, §. Zum Andern als sich verschiedne Jahr er-  
 schrecklich Empörung der Untertanen &c. §. seqq. It. de supplicis  
 Hungariæ Regi ferendis, contra impressionem Turcæ. §. Weiter als  
 Königl. Würde zu Hungern. &c. Justo prolixius foret omnia  
 commemorare, quæ in Comitiiis hinc & inde tractata fuerunt. Spe-  
 cimen dedimus modo ex hisce curæ Caroli pro Imperio vigilantis-  
 simæ; ex quo colligas, quantum ipsi studium fuerit bonis legibus fir-  
 mare regnum, quod instituto nostro sufficit, qui non historiam con-  
 teximus, sed scribimus dissertationem.

De rebus Turcicis quædam attextenda sunt quæ thesin illustrent.  
 Præerat Turcorum Imperio Solimannus. Hic præsentē fortuna  
*vid. Jovian.* non modo Rhodum subegerat, sed in Hungariam irruens Belle-  
*l. 30. Le-* gradum atque postea Anno 1526. Budam cum augustissima Regia  
*uenclav.* Bibliotheca præmium victoriæ acceperat. Quibus victoriis info-  
*Hist. Mu-* lentiior factus, Viennam 250000. militum manu aggredi ausus est.  
*selm, l.*

Vicies

Vicies oppugnavit Urbē, & totidē repulsus virtute Palatini, non de-  
stitit cœptis, nisi brumæ inclementia deserere ipsū cœgisset. Ad-  
vertebant v. hæc animos Caroli Statuumque Imperii nostri maxi-  
mē; quapropter consultatum in Comitibus, de subsidiis Hungariæ Re-  
gi mittendis, ne Hungariâ Imperii Romani propugnaculo ever-  
sâ, Turcorum rapinis Imperium exponeretur. Hoc in Comitibus  
Imperii Norimbergensibus Anno 1522. in consilium vocatum,  
decretumque auxilium contra Turcas est, vid. R. A. ab initio. Sed  
cū sine Imperii detrimento præstari promissa auxilia non possent, in  
Comitibus de Anno 1526. Spirensibus de eodem deliberatum vid. R. A.  
Anno 1526. §. Item als auff den Reichstag &c. Tandem in conventu  
Deputatorum Eslingæ eodem anno de iisdem subsidiis statutum est.  
Interea mutatus Hungariæ Status, & Ferdinandus Caroli frater, in-  
nixus transactione, quam Cæsar Maximilianus 1491. cum Hunga-  
ris & Ladislao Rege fecerat, ne quicquam Johanne de Papoliâ Præfe-  
cto Transylvania repugnante, (qui Turcorum patrocinio se dede-  
rat, ex quo tempore Transylvania in Turcarum cliente lâ esse cepit)  
occupavit mortuo Ludovico Regnum. Reversus autem Anno  
1530. in Hungariam Solymannus cum 200000. militum exercitu, cum  
inaudivisset, Carolum V. Imperatorem cum exercitu in prociñtu es-  
se, ad Caroli nomen trepidâ fugâ recessit. Paulus Jovius lib. 30. Reli-  
qua quæ narrata illustrent, aut quæ in Hungariâ à Turcis deinceps  
gesta sunt. vid. in *Leuendav. Histor. Muselmann. lib. 18.* & aliorum Scri-  
ptorum commentariis ap. *Schardium T. 2. præsertim Martini Stelle de*  
*Turcarum in regno Hungaria Anno 1543. & 44. successibus epistolis qua-*  
*tuor, & Melchioris Soiteri libris de bello Pannonico.* Expeditionem A-  
fricanam Cæsar's, & quantam hac sibi gloriam comparaverit, quan-  
tum metum injecerit Afrorum Regulis, exponit *Jovius libb. 34. & 40.*  
& majorem habuisset, si postremâ expeditione oportunius circumspe-  
ctiusve res instituisset, aut cœlum tempestatesque non expertus  
esset adversa.

*Aphor. X.*

Nec segnior cura fuit lites motusq; domesti-  
cos

cos Imperii sedare, vel propriis, vel Statuum consi-  
liis & operâ, quibus ipse auspicia commodabat, ne  
mutuis vulneribus exteris formidabile corpus Im-  
perii concideret.

*Verula-  
nius in  
vitâ Hen-  
rici VII.*

Vulnera quæ hoc tempore Imperium nostrum accepit, ea sibi i-  
psi discordiis civilibus intulit, quo malo dudum Respublica nostra  
laboravit. Quòd maxima libertas motuum intestinorum causa sit, di-  
cere non audeo, adducere alias, si instituti foret. Vero Verius est,  
Germanicum Imperium robustissimum esse animal, quod non nisi  
mutuis vulneribus confici potest. Pariter in confesso est, quiete ac  
concordia règnorum crescere vires, discordiâ ac motibus inordinatis  
labefactari. Non caret periculo nonnullorum consilium, ut feбри-  
bus naturalia convalescunt corpora, sic contentionibus civilibus  
purgari sæpe imperia. Quicquid emolumenti ex hac medicinâ accef-  
serit Imperiis, casus atque fortuna sibi vindicabunt. Hæc summa  
consiliorum fuit, quæ Habraymus Solymano dedit, deliberanti de  
bello Parthico & Germanico, utrû tentaret, ne lacesseret Germanos:  
*Hæc uti reor, inquit, non ineptè Te admonere possunt, ut Christianos (Ger-  
manos indigitat maximè) intestinis mutuisq; bellis implicitos se confici  
sinas: nam attritis usquequaque eorum viribus, paulo post nullo nostro  
periculo certam in prædam nobis cedent. Jov. lib. 33.* Mittimus Philoso-  
phiam & ad historiam redimus. Variis discordiis agitabatur impe-  
rium nostrum. Dissidebant inter se Episcopus Hildesienfis & Min-  
densis, huic favebant Duces Brunsvvicenses, cum Carolus iniret  
Imperium, nec semel interposuit curam & majestatem Imperator. vi-  
deatur *Chytraus lib. 8. & Justinus Goblerus ap. Sebardium T. 2.* Eo-  
dem tempore, quando Dux Würtembergiæ Ulricus invasit Reutlin-  
gam Interregni tēpore, cum foederis Suevici sociis bellū Ulrico con-  
tigit, quo exutus ipse est hæreditariis provinciis, venditæque Caro-  
lo Cæsari provinciæ, qui fratri Ferdinando feudum Imperii dedit.  
Inde graviores tumultus sunt orti, qui dudum fatigarunt Germaniam.  
Commemorant hæc *Sleid. l. 9. Chytraus l. 9. Crusius Annal. Suevic.  
Horsled, T. 1. de causis belli Germ. l. 3. Jovius lib. 32. & Scriptores qui*  
T. 2.



T. 2. *Schardii* extant. Nunquam à reconciliatione fuerunt alieni  
Imperator & Ferdinandus, quin tandem ne majus bellum in Germa-  
niâ exarderet, maluerunt fructu ac usu Provinciarum cedere,  
contenti ut Wurtembergicum haberent Vasallum Austriæ. *vid.*  
*Chytraeus lib. 14.* Bellum rusticum in Sveviâ A. 1524. subortum, vel  
Münzeri seditiones non attingimus, de quibus *Sleidan. l. 3. 4. & 5.* &  
Scriptores quos *Schardius & Freberus*, Ille T. 2. Hic T. 3. servarunt. Ne-  
que est ut de tumultu Packiano multa adjiciamus, quæ apud *Hort-*  
*led. T. 1. lib. 2. & Strauch. diss. Exoter. 9.* leguntur. De Anabaptistis Mo-  
nasterii in Westphaliâ tumultuantibus *conf. Sleid. l. 6. Chytr. lib. 14.*  
& *Corvini commentarius ex Schardii T. 2.* Concussit maximè Ger-  
maniam dissidium inter Henricum Juniores Ducem Brunsvicen-  
sem, & Electorē Saxonie, Hassiæq; Landgravium. Causas dederunt  
interceptus scriba, & neglectum Cæsaris mandatum, quo proscri-  
ptionis Goslarie Urbis executionem suspenderat, ac pacem impera-  
verat Cæsar. *vid. Hortled. T. 1. l. 4. Commemorationem causarum à*  
*Schmalcaldici fœderis sociis editam T. 2. Schardii, nec non Chytraeum*  
*lib. 15. Sleidanum lib. 12. &c.* Omnes hæc discordias Carolus vel  
propriis consiliis, vel tantum auspiciis suis per Vicarium, quem Lo-  
cum-tenentem appellabant, ac Senatū Imperii componere stu-  
duit, quod allegatorum testium ac monumentorum fides legenti  
ante oculos ponet. Sunt præterea & alia argumenta, quibus cura  
tranquillitatis publicæ à Carolo navata evincitur. Quoties absens  
per literas hortatus est Proceres, concordiam mallent quam discor-  
diam? legantur Caroli literæ ad Protestantes *ap. Sleid. lib. 7. & lib. 12.*  
refert Carolum publicâ tranquillitate nihil habuisse antiquius. Cæ-  
sare dignum responsum erat, quod Vice Cancellario Heldio, mini-  
tanti: *Cæsarem decrevisse exequi decreta, (Wormatiense & Spirensis)*  
*etiamsi vastanda esset Germania, interpellando dedisse dicitur. Hac Te*  
*non jussi dicere, nolo enim vastari Germaniam, quæ est Patria est, & à*  
*quâ summum decus accepi: & Imperator salutis orbis terrarum, quan-*  
*tum potest consulere debet.* Neq; aliam ob causam Wormatiensis  
decreti exsequutio sufflaminata est, quàm ne pax Germaniæ hoc  
modo turbaretur. Sed de hoc & pace religionis deinceps.

*Aphor. XI.*

Sub Carolo V. floruit Lutherus, & per pluri-  
mas provincias Europæ explicuit se Lutherana re-  
ligio,

D

ligio, quod certè moderationi Caroli debemus, qui potius clemētiâ suâ quam sanguinariis Pontificum consiliis uti voluit.

Sub Maximiliano I. incepit Lutherus reformationis negotium, sub Carolo successit. Prolixum foret ire per singulos annos, & emendatæ per Germaniam, Daniam aliasq; provincias Europæ religionis annales proferre. Cognoscuntur hæc ex *Cbytrao & Sculteti Annalibus Evang.* Explicandum paucis, quo animo Carolus erga Lutherum ejusq; doctrinam fuerit. Fatemur equidem proscriptisse Carolum in Comitibus Wormatiensibus Lutherum, atq; identidem literis sollicitasse Principes Germaniæ, ut instarent decreto, & Lutherum ejusq; fautores damnarent exilii, ejicerentq; Imperii. Sed statuisse ita Cæsarem credendum est, partim ne Pontificem offenderet, cujus amicitia ipsi contra Gallum Italiæ inhiantem maximo usui erat, partim quod religione Romana esset innutritus, hancq; Christianâ & solam orthodoxam censeret. Quod facile ex literis & responsis Cæsaris ap. *Sleid. lib. 3. 4. 6.* alibique colligitur. adde *Thuan. H. A. lib. 1.* Lutherus ipse commendat Cæsaris clementiam atque moderationem, quâ in religionis negotio usus est ante Augustana Comitata. *Cōmonit. ad German. T. 5. Jen. Insignis & stupenda ferè illa moderatio fuit, quod, cum eo etiam tempore, dum adhuc in Hispani esset, & antequam veniret in Germaniam, assiduis plurimorum Principum, & Ecclesiasticorum & Secularium interpellationibus, ac truculentis instigationibus ferè obtunderetur, ipse tamen noluerit indictâ causâ doctrinam nostram condemnare &c. idem confirmat Melancthon in epistolis.* Quod igitur executio decreti Wormatiensis non festinata, non solum cum Bzovio absentia Cæsaris, sed moderato ipsius animo, & amoris in patriam acceptum ferimus. Ut summam exhibeamus beneficia religioni Lutheranae præstita. Audivit coram Lutherum, præstitit fidem datam, ut salvus & incolumis domum reduceretur. *Sleid. lib. 3.* proscriptit Lutherum, sed connivens executionem suspendi passus est, concessit Concilium, & rescripto Norimbergæ 1523. exarato, promisit liberum Concilium, ac ne Pontifex impediat, se curaturum spondet. extat *T. 2. Constit. Goldast.* Hoc decretum interpretati sunt in rem suam Protestantes, quod jusserit Cæsar, ut evangelium doceretur juxta interpretationem Ecclesiæ receptam ac approbatam; & 2. ut præter Evangelium nihil doce-

doceatur. Catholici v. contra Lutherum urgebant decretum Cæsaris. Quicquid sit de illo, beneficium certè exhibuit Veritati Lutheranæ, quod Concilium agendum decrevit; quod non displicere Pontifici non potuit. Siquidem in Mantuano Concilio constituerat Pius & ratum deinceps habuerat Julius secundus, *ne quis à Pontifice ad Cōciliū appellaret.* Cōf. R. A. 1541. S. Unde dicitur dann gemeine & c. Quæ pro Lutheranis postea Bononiæ ad Papam Clementem verba fecerit Ao. 1529. commemorat. *Chytraus H. A. C. p. 5. seq.* Anno sequenti excepit & audivit benignè Protestantium fidei Symbolum, quo recitato, multorum in Lutheranos immutatus est animus. & ipse Cæsar dixisse fertur: *Protestantes in fidei articulis non errare; Si officium suum Sacerdotes facerent, non opus esset Luthero Magistro.* Porro cum in bello Smalkaldico moderatiùs victoriâ uteretur, nec cruentis Romanorum Consiliis concederet, hortantium Victorem, ut funditus Lutheranos extirparet, fovisse religionem Lutheranam dicendum. Et omninò fovit, dum Mauritio Saxoni & Johanni Brandeburgico libertatem Augustanæ religionis ejusq; exercitii indulgit, ac Civitatibus Imperialibus eandem est pollicitus. *Conf. Hortled. lib. 3. de C. B. Germ.* Maximum v. omnium beneficium à Carolo consequuta est veritas Lutherana, (ne colloquiorum de religione, indulgentiâ & auspiciis Caroli institutorum mentionem injiciam) cum pacem, quam religiosam appellant, Imperii reddidit, eaq; edictum Wormatiense penitus abrogavit. Sunt equidem quibus Carolus Protestantibus ægrè fecit, verum hortatoribus & Consiliariis Hispanis ea esse impetanda judicat prudenter Lazarus von Schwenden in seinem bedenden von Regierung des H. Römischen Reichs.

*Aphor. XII.*

Pacem Carolus veram, sinceram, perpetuam, non in justam Numiniq; adversam dedit Protestantibus. Libera & Patriæ bene cupiente voluntate, cum firmissimum in promptu exercitum haberet, concessit, quam omnes postea Imperii Proceres in Comitibus Anno 1555. consensu decretoq; firmarunt.

Pacis religiosæ primordia deprehendimus in deliberationibus Procerum Schyvinfurti institutis; quæ hinc deliberata, ea Norimberga

gæ sunt decreta Anno 1532. d. 23. Julii, probata à Cæsare Ratisbonæ die 3. Aug. repetita Cadami, primum à Romanorum Rege 1534. deinde Francofurti ab Oratoribus & intercessoribus Cæsaris 1539. roborata in Comitibus Ratisbonensibus 1541. R. A. zu Reg. an. 41. S. und damit im H. Reich Teutscher Nation. prorogata Spiræ 1542. R. A. Spir. an. 42. S. Und damit die Zeit dieser wehrenden. Ibidem Anno 44. novo Cæsaris promisso fulcita est, R. A. Spir. Ann. 44. S. Als wir aber in der handlung. mandata denuo 1545. R. A. Worm. Ao. 45. S. Damit nun im H. Reich. Conf. Hortled. lib. 1. de C. B. G. Chytraeus lib. 13. Sleid. Quæ v. hætenus tanta fide & religione sancita erant, turbantur postea bellum Smalkaldicum, & alterum illud quod cum Mauritio fuit, Nihilominus reassumptum pacis negotium. 1552. Passavii, quæ aliis Bathavia, atque labefacta tumq; redintegrata pax, Ao. 1555. in Comitibus Augustanis solemni sanctione publicata ac corroborata est. vid. Acta publica de pace Religionis à Lebmanno edita. Hæc illa pax est, quam tot convitiis proscindunt Romani, & penitus conculcatam vellent. conniventiam appellant non pacem, transactionem non Statutum Imperii, nec perpetuam sed usque ad Concilium indultam, loricatam appellant, vi & injustis armis extortam. & quæ alia sunt à Dillingensibus, Francisco. Burgkardo ArchiEpiscopi Coloniensis olim Cancellario Autonomia vel auctore vel compilatore (s. is potius Andreas Erstenberger / l. Andreas Gailius fuerit,) Georgio Landherrn / Förero, Thoma Henrici, aliisque; Turbatoribus pacis publicæ hujus Seculi, in hanc pacem injuriosè conjecta, & dudum deleta sunt à nostratibus Theologis, Saxonis in der Hauptvertheidigung des AugApffels / c. 11. Gerbardo, Dorscbao, Pauermeistero, Nordermanno, Carpxovio, Springero, Limnao, aliisque, de quibus verbum non addimus. Quod in thesi positum est, de præsentem Caroli militiæ robore, ne testimonio careat, subjungimus ex Sleidani lib. 24. Ferdinandum Caroli fratrem Henricum ex Plaviorum familiâ ad Mauritium in castra misisse, ut Principi pacem cum Carolo persuaderet, in reliquis ad persuadendum comparatis argumentis hoc etiam erat, cogitet secum, nisi condiciones admittat, quantum ei periculum incumbat, & à Cæsare, qui firmissimum jam habet exercitum; & ab ejus patrueli, Johanne Friderico, quem libertati restitutum Cæsar propediem sit remissurus domum. Probavit hæc & descripsit Thuanus, demonstrant enim pacem hæc, quam Mauritio quidem

dem debemus, armis manuq; bellicâ extortam non esse. Cæterum  
quod capita hujus pacis spectat, complectitur M. A. Augustanus Ao.  
1555. recensetq; *Lehmannus l. cit.* acta Comitiorû. Hanc Pacē quâ dedit  
Carolus, & peperit Mauritius, vindicavit Johannes Georgius I., di-  
gnus Avo Nepos, tuebitur Johannes Georgius II., quâ Zelû haut mi-  
nor Parente.

*Apor. XIII.*

Quamquam bellum Smalkaldicum, & quæ ex  
eo turbæ pronatæ sunt, obfuscare parû per gloriam  
Caroli, quam Imperii curâ sibi peperit, videntur,  
non tamen Cæsarem ex ingenio egisse putandum.

Bellum Smalkaldicum dicitur, quod cum fœderis Smalkaldi-  
ci sociis ab Imperatore gestum, quod citò quidem confectum, aliud  
ex se, cujus Mauritius Saxo Dux erat, progenuit. Historiam belli  
hujus recensere non vacat, nec exponere quibus artibus, Consiliis  
ac prudentia Carolus rem feliciter gesserit, quibus v. erroribus Pro-  
testantes victoriâ exciderint, notarunt *Thuanus, Natalis Comes*, col-  
legit ex Scriptoribus *Burgholdensis ad Instr. Pacis Osnabr.* Duo de  
hoc bello supponimus: alterum, quod Protestantium defensio illi-  
cita injustaq; non fuerit; alterum, noluisse Cæsarem, ut belli causa  
religionis dissensus haberetur; quod tamen omnibus Imperii Pro-  
ceribus persuadere neutiquam potuit. Credidisse Mauritium exi-  
stimamus, qui alias Carolo suppetias minime tulisset, oppugnantem  
veritatem. *Sleid. l. 18.* Splendidè mentitus est Natalis Comes Italus,  
scribens: *Mauritium contra jus jurandum fœderatis datum, Cæsaris*  
*partes adjuvisse, eiq; contra nature jura, auxilia obrulisse.* utrumque as-  
sertum Natalis Comitum præter veritatem est. Nunquam potuit ad-  
duci, ut fœderatis se adjungeret, & sollicitatus respondit: *Non li-*  
*cere sibi contra summum Magistratum facere, eiq; resistere, quem omnia*  
*fœdera excipiant.* *Sleid. l. 18. Hortled. de C. B. C. l. 3. c. 41.* partibus v. Cæsa-  
ris non nisi plurimum rogatus accessit, quod dudum *Nobilissimus vid. Hipo-*  
*Heigius l. 1. q. 11. n. 44.* evictum dedit. Sed ad Carolum calamum, *pol. à La-*  
reducimus, in quem nonnulli Scriptorum iniquius invehuntur, tra-  
ducentes sanctissimum Principem, quod multa Imperio eripuerit, *rat. Stat.*  
libertatem Germanorum pessum dederit, *παμβασιλείαν* affectarit *Part. 2. c. 5.*  
in Germaniâ, ejusq; jecerit fundamenta, quam Ferdinandus II. i. *Part. 3.*  
plis exædificasse videtur; & præsertim bello Smalkaldio tam religi. c. 2.

onem quam libertatem confodere instituerit. Crepant hæc quibus de Principum actionibus judicare fas non erat. Admirari n. Principes ac venerari decet privatos, non censere. Et à quibus æque lingua atque manu abstinendum, de illis reverenter loquendum; nec temere de ipsorum consiliis pronunciandum, quorum causæ non raro sibi solis patent. Concedamus Carolum Imperii cupidissimum & παρβασιλέας studiosum fuisse, quod tamen non nisi indiciis colligitur; habuit hoc cum magnæ mentis Heroibus commune. facile enim magni Principes in liberis rebus publicis incurrunt suspicionem, quæ sæpe nimium suspicaces sunt & præter rem metuunt suæ libertati. Quod tamen num hîc applicari possit videant alii. Concedamus porro successus prosperos animum Caroli aliò inclinasse, homo erat. Hortatus Consiliariorum & obtestationes Pontificum, quibus instabant, Deum, Ecclesiam, conscientiam, divina humanaque interitura si vel minimum concederetur Lutheranis impulisse ac commovisse modestissimū alias Heroë certū est. (cōferatur *Lazari Schwendii Baronis in hohen Landsperg consilium de regim. Rom. Imp. 40. 1574. ad Maxim. II.*) quibus succinebant plurimi ex Statibus Imperii, (lege quæ *Sleidanus* de Henrico Brunsvvicensi commemorat *lib. 12.*) Mirum igitur non est, Carolum tot quasi procellis obrutum impegisse navem. Ex ingenio non egit cui necessitas incumberebat, ac vim fecit. Agendum hic lege, quam Anglia sibi posuit: *Rex nunquam potest errare, aut cuiquam injuriam facere; quippe in Administratos & Consiliarios (quorum est admonere Principem, iniqua volenti denegare operam, aut officio renunciare, potius quam contra Leges quicquam iubenti parere) tam culpa omnis quam pœna derivari solet, reliqua in Carolum iniqu; dicta conflictui diluenda servamus.*

*Aphor. XIV.*

Fortunam Caroli stitit Mauritius Saxo, Achilles Germaniæ, rebusq; ejus secundis posuit modū justo atq; necessario bello. Ex quo fortunā Caroli cum ætate ipsa consenuisse intelligimus.

Dextram Caroli Mauritium appellare liceat, militavit Cæsari contra Turcam, duabus vicibus contra Franciscum Galliæ Regem, adfuit castris Cæsaris in Germaniā, eiq; præcipuus in constituendâ per Germaniam auctoritate adjutor extitit, teste Thuano. Tandem verò cū animadverteret, Hispanos Romanosq; abuti fortunā Caroli, ac

li, ac incitare Principem contra Patriam. cum intelligeret precibus ac intercessionibus Principum Landgravium liberari & captivitate non posse, ac supplicationibus nullum esse locum, ut liberaret fidem suam, quam pro Philippo agnatis oppignoraverat, & periculum evitaret, quod à filiis Landgravii impendere videbatur, arma in Cæsarem unà cum Joachimo Brandenburgico (ut de aliis belli fociis non dicam) convertit. Hoc illud bellum est, quo Romanorum odia & convitia in se provocavit, quibus summæ ingratitude, violentiæ, perfidiæ ac perjurii contra Imperatorē & imperium infimulatur, vel arguitur quod ante illatum quam indictū fuerit bellum. At rectius *Cbytraus lib. 17. Saxon.* appellat justum ac necessarium bellum, pro aris, libertate Reipublicæ & agnatorum susceptum vid. quæ *ap. Hortled. lib. 15. de B. G. E.* leguntur, ne laudem *Heigios Dorschaos aliosq;* qui gloriam Mauritiū vindicarunt. Hoc ipso bello deseruit Carolum fortuna sua, quam in reliquis, quorum novem Zenocarus recenset, præsentem ferè semper habuerat. Refert Strada lib. 1. *Carolus nullum ferè hostem habuisse, quem non modò victum, sed victum captivumq; non viderit.* At quando cum Mauritio & Henrico Galliarum Rege pugnandum erat, destitit prospera fors. Nec dissimulavit ipse Cæsar, quem de Henrici Galliarum Regis successibus dixisse ferunt: *Fortunam esse Juvenum amicam.* Et sunt quibus hanc fortunæ mutationem Carolo imperii abdicationem quoq; svasisse videtur. *vid. Strada lib. 1. de B. B.*

*Aphor. XV.* Floruit sub Carolo in Germaniâ V., in Hispaniâ I. Imperium Hispanicum, crevitq; in immensum ejus robur.

Maxima sub Carolo incrementa fecit Hispanorum Monarchia, quippe ita ipsorum res auxit, ut facile spem totius Europæ concipere posset. Non dicam quantum gloriæ additum sit Hispanorum Regnis, quod Regem haberent, cui etiam Germania imperii sui eminentissimum decus credidisset. Præter eam gloriam crevit ditionum numerus. Non avelli ab Hispaniæ corpore Regna Nepalotianum, Siciliæ & Navarræ passus est Carolus; acquisivit mediolanensem Ducatum, Sienam, aliasq; Italiæ ditiones; vindicavit Gæliæ Ducatum & Comitatum Zutphanæ; restituit alias Belgii provincias accessit pariter Bohemiæ & Austriacarum ditionum hæreditas. Quas terras in America, quot investigari jussit insulas additas Imperio. Non dissimulanda est expeditio Magellani qui primus docuit, quo itinere mundus circumiri possit, Peruvianū Meximicanū opulentiissima Regna obtinuit Hispania. reliqua ap: Latū & Rerū Indica-

dicarum Scriptores legantur. Tentavit & alia consilia Carolus, quò Hispanorum potentiam ac gloriam in majus extolleret, videlicet Imperatorium Germaniæ decus in filium Philippum transferre studebat, quâ spe tamen frustrabatur, vid. *Thuan. lib. 16. circa finem & Strad: lib. 1. de B. B.* Per Philippi matrimonium cum Mariâ Angliæ Reginâ, cujus ipse Auctor fuerat, contractum, conjungere cum Hispaniâ Angliam animus erat. Lusitaniam cum adhærentibus in Oriente regnis Carolus Hispaniæ quidem non addidit, at fundamenta unionis posuit matrimonio cum Isabellâ Lusitaniæ hærede *sibi juncta*, in quo Philippus filius sibi asserendi hoc regnum titulos & causâ invenit. Evolvantur *Connestagiæ & Biraginis monumenta historica. Aphor. XVI.* Tandem molestiarum Imperandi pertæsus, & enervato curis itineribusque corpore, Ao. M. DC. LVI. deposuit sceptrum. Successit in Imperio Germanico Ferdinandus Frater, in paternis provinciis filius Philippus postea II. appellatus, & Carolus ex tanto dominatore nullus vel privatus est factus.

*Strada l. 1.  
de B. B.*

Itinera & expeditiones suas à decimo septimo ætatis anno recensuit ipse Bruxellis cum filio provincias Belgicas traderet, novem in Germaniam, sex in Hispaniam, septem in Italiam, quatuor in Galliam, decem in Belgium, duas in Angliam, totidem in Africam, mari undecies remenso; quibus laboribus tandem consumpta valetudo, enervatum corpus. Qua solemnitate abdicavit, recensent *Strada & Thuanus lib. 16. circa finem* notatque; hic similia exempla. Quæ causæ hujus Consilii Carolo forent, tum conjecturis certatum est, dum alii alias in promptu habebant, exponit *Strada conjecturas lib. 1. de B. B.* Abjecta regnorum cura in Monasterium se contulit, partem diei pietatis ac sacrorum officiis, partem valetudinis curæ, vel horologiorum fabricæ & horti culturæ impendens. Visum Nonnemini, hanc Cæsaris abdicationem cum pacto inter Gotarzē & Bardanē fratres, cujus *Tacitus meminit lib. 11. Ann. c. 9.* cōferre, quo potior Bardanes retinuit regnum, & Gotarzes cedens regno, ne quid æmulationis exsisteret, extra regnum in Hyrcaniam abiit. Non placet viri judicium, nec eam credo secessus in Monasterium causam habuit Carolus, quam Gotarzes in Hyrcaniam; nisi probabitur, Carolum eodem die, quo ab imperio recessit, consilii hujus pœnitentiam subiisse, quod mihi verisimile non est. Finio in morte Cæsaris, quâ functus est Anno 1558. d. 21. Septembris, & lectorē ad *Strada lib. 1. de B. B.* remitto. *Err. Pag. B. 2. l. 7. leg. pro Frid. Joh. Frid.*



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

